

**AB**

49 i  $\frac{8}{16}$

0/0 K.

0036

III E 1364



36:36






**EPITHALAMION**  
**DE CONIVGIO ILLVSTRISSIMI**  
**PRINCIPIS IOHANNIS ALBERTI**  
Ducis Megalopolitani &c. Et Illustriss.  
simæ Dominæ Annæ Sophiæ filiæ  
incliti Principis Alberti Mars  
chionis in Brandenburg  
& Ducis Borus,  
siæ &c.

Scriptum a Iosia Menio  
Dantiscano,

**VVITEBERGÆ.**

**ANNO,**

**M D L I.**



# EPITHALAMION DE CONIVGIO

Illustrissimi Principis Iohannis Alberti Ducis  
Megalopolitani &c. Et illustrissimæ Do-  
minæ Annæ Sophiæ filiæ inclyti  
Principis Alberti Marchioz-  
nis in Brandenburg &  
Ducis Borus-  
siæ &c.

Baltica Saxonicos tangunt ubi littora Campos  
Est sita Parrhasio terra propinqua polo;  
Albis ab occasu, sed flumen Sueuus ab ortu  
Prono spumosas amne fatigat aquas;  
Dicta peregrino μεγάλου de nomine πύργου  
Argolicum magna nomen ab arce tenet.  
Si qua uerusta suæ commendat gentis origo  
Illustri magnos nobilitate Viros;  
Egregium deerit ueterum non nomen auorum  
Illiis Ducibus gloria nulla soli.  
Nam quæ de ualido clypei sub imagine Taurō  
Aurea cum torua cornua fronte gerunt,  
Sunt ea quæ sæuo præstantes Marte Quirites  
Fortiter & Latios edomuere Duces.  
Cimbrica nubiferas ubi gens transgressa per Alpes  
Picta tulit signis ora bouina suis.  
Hinc & Ioannes longis Albertus ab annis  
Enumerat stirpis secula multa suæ,

A ij Priscac



AB 49 8  
i, 16

Priscacq̄ laudatæ repetens exordia gentis  
Se genus à Cimbris ducere gaudet aus.  
Qua tenet imperij commissas Rector habenas  
Ac sacra concordi sceptræ quiete gerit  
Ciuibus æqua suis sapienter iura ministrat  
Aciusta patrias lege gubernat opes  
Cœlitus & tribuit mandatos gratus honores  
Eximia uero cum pietate Deo.  
Sancta Redemptoris curat Respublica Christi  
Ut pia compositis otia rebus agat:  
Et sacra diuini discat mysteria verbi,  
Quaue Dei gratam uoce precetur opem.  
Laudibus hæc ornant magnos insignia Reges,  
Hæc Alberte Duces, qualis es ipse, decent.  
His honor & uiuæ verissima gloria famæ  
Quæritur, ac hominum conciliatur amor.  
Sed ventura bonis ut post dominantibus ætas  
Mollia securæ tempora pacis agat:  
Atq; suo natus de sanguine regna gubernet:  
Ipse iugale pñ fœdus amoris init.  
Cui grauis impositum fecit Sapientia nomen  
Illiis est casto sponsa Sophia thoro:  
Inclyta nobilibus claro de Regibus ortu  
Quæ trahit Alberto nata parente genus.  
Diuite qui censu florentibus imperat oris  
Qua gelidus pingues Bregela findit agros  
Ac in

Ac in Hyperboreis ad littora pulsa Borussis  
Succina ubi canis flaua leguntur aquis  
Principe quo melior nemo nec amantior æqui  
Gentibus Arctoo iura sub axe dedit.  
Quisquis ades quem sancta mouet reuerentia Christi,  
Qui colis haud ficta religione Deum,  
Tolle pio gemitu celso tua pectora cœlo,  
Voceq; conceptas supplice funde preces:  
Faustus ut unanimi iungat duo corpora nexu  
Fataq; coniugibus mollia donet Hymen:  
Confisis tectisq; boni munimine Christi  
Prosper ut innocuo flamine cursus eat  
Hunc tibi legitimi gaudens gratare cubilis  
Hunc socium thalamis Anna Sophia tuis:  
Cui licet eximiæ præstantia munera formæ  
Atq; triplex omnes gratia fundat opes:  
Et species aptos exornet amabilis artus:  
Plus tamen hoc longè nomine laudis habet:  
Ipse quod innumeris animi Virtutibus auctus  
Non habet hac multos nunc sibi dote pares.  
Et tibi læta tuum pertentent gaudia pectus  
Fœlix illustri sponse future thoro:  
Iuncta tibi ueniet diuino fœdere coniunx  
Ducta sub amplexus Virgo pudica tuos:  
Cui formosa bonis facies se moribus æquat,  
Ipseq; Virtutis manat ab ore decor:

Ardua

**Ardua quam tanti commendat fama parentis**

Florida cui foetis Prussia paret agris:

**Quo Duce non illis unquam prudentior oris,**

Nec pietate prior iusticiaq; fuit.

**Hæc quocunq; suos offert tibi tempore uultus**

Quando sub aspectus prodit itura tuos,

Mente recorderis memori, quo nata parente,

Quoue suum socero te ferat esse uirum:

Qualibus ille sibi nomen quæsiuerit actis,

Cuius erit lecto filia iuncta tuo:

**Toto quam celebris sponsæ sit auunculus orbe,**

Exuperet reliquos quod pietate Duces:

Subiectos miti populos qui pace gubernat,

Incolit herbosos hic ubi Cimber agros.

**Hos uirtute tibi siquidem regnosc potentes**

Cognato castus foedere iungit amor:

Eximij quantus ueniens hinc fructus honoris,

Accedit titulis gloria quanta tuis:

**His imitanda tibi sumas exempla Magistris,**

Quaq; cucurrerunt tu quoq; perge uia.

Iam tibi commissi fungens dum munere regni

Ipse tui patrios Dux regis orbis agros.

**Nulla tibi tantos confert fortuna triumphos,**

Non tibi fama feret pulchrius ulla decus,

Quam si qui sera de posteritate nepotes

Hæc de te grato pectore dicta ferant:

**A ij Totius**

Totius hic par est summis Heroibus orbis,  
Quos Phœbus radijs uidit vterq; suis:  
Qualis uel Rex Danus erat, uel cuius habenis  
Culta Borussiaci paruit ora soli.  
Sic Iacobe tuus Memphitica filius arua  
Rexerat ac Pharij splendida regna soli.  
Venditus à proprijs turpi qua fratribus auro  
Arcta prius dura uincula sorte tulit.  
Sicut enim prisco lessæus tempore Princeps  
Persia uel regni Cyrus origo tui.  
Hellespontiacas aut Constantinus ad undas  
Iura tulit populis qui Tiberine tuis,  
Maxima diuini sic hi nunc gloria coetus  
Sacratæ curam relligionis agunt.  
Pacificisq; regunt subiectas legibus vrbes,  
Nec furiosa suo prælia Marte mouent.  
Sumptibus ingenuas dignis & honoribus artes  
Et quacunq; licet parte fouere fouent.  
His Deus officijs digna mercede rependens  
Innumeræ pleno flumine fundet opes,  
Hic fragilis donec uitæ durauerit usus,  
Plura sed hinc vita cum meliore dabit,  
Quando sub æterno renouatis tempore rebus  
Expectata Deo gaudia dante ferent  
Talia dona quidem se largiter esse daturum  
Affirmat summi filius ipse Dei:

Si

**S**i quis uel gelidis saltem sua pocula lymphis  
    Vni de minimis mixta bibenda dabit,  
**Q**ui uel percipiet studio mea verba fideli,  
    Illa uel intrepido corde professus erit:  
**I**lle suæ fructum largæ mercedis habebit  
    Et capiet facti præmia magna sui.  
**I**rrita nec uanis hæc est promissio verbis  
    Dicta sed immensum talia pondus habent,  
**N**am veluti durat totius machina mundi,  
    Et seruant certas Noxq; diesq; uices  
**V**oce quod id summi sanciuit Rector olympi  
    Qui vaga non dubijs legibus astra regit  
**S**ic etiam, quæcunq; suo promiserit ore  
    Filius æterno de genitore satus  
**S**unt rata, nec certis euentibus illa carebunt,  
    Non possunt unquam fallere dicta Dei.

**FINIS.**

**Deo laus.**

**1551.**

21  
Gloria te regnante gloria tua regnans in celis  
Amen dominus misericordia eius semper  
Ora nos precib[us] tuis d[omi]ni n[ost]ri aeterni  
Habemus in te fiduciam e[st] fortis protegens deus  
Habemus in te fiduciam istius misericordia ipsa est  
In celsis te regni precibus m[er]ita sunt  
Intra nos tuas misericordias p[ro]curans accepimus  
Dicitur te regni misericordia illis bonus Jesu[m]  
Vnde abundat misericordia tua misericordia mundi  
Et istud est gloriam nostram d[omi]ni Regis omnipotenti  
Nec deo  
Qui a se non debet separari sicut regis  
Sicut enim d[omi]nus deo deo deo deo deo deo deo deo  
Tunc tunc deo deo deo deo deo deo deo deo deo  
Gloria tunc nec certe communis illis certe  
Non deo deo deo deo deo deo deo deo deo  
FINIS

Dico Ihesus

222





AB:49 <sup>8</sup>  
i, 16





## Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

